Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit [illegible] xi. pars beati Jeronimi in ysaiam prophetam. liber decimus [illegible]

UNDECIMUS LIBER QUEM NUNC IN MANIBUS

habemus, nono et undecimo minor erit numero versuum, non sensuum magnitudine. Sequitur enim eum Sennacherib atque Rapsacis et Ezechie regis historia, que nec iungi cum precedentibus poterit propter enormem voluminis magnitudinem, nec dividi propter gestorum continentiam. Itaque ut voluisti, o virgo Christi Eustochium, et in commune placuit, sic superiores ante dictavi, et hunc et reliquos si Christus annuerit dictabo libros, ut prophetias suis copulem, nec eas inter se lacerem atque discerpam in alterius finem et alterius principium. Audio preterea scorpium mutum animal et venenatum super sponsione quondam commentarioli mei in Danielem prophetam nescio quid mussitare, immo ferire conari, in suo opere moriturum; cui nec nenie et lugubres cantilene nec dum mortuo perdite sunt. Et idcirco differenda responsio, magisque obediendum est et sancto atque eruditissimo viro fratri tuo Pammachio qui insatiabili studio me pluries cogit ex pleto Esaya transire ad Ezechielem, cum ego et etatis et corporis inbecillitate confectus, notariorumque penuria qui me possint suis ministeriis adiuvare in eodem adhuc luto hesitem, et vix partem Esaye mediam in hoc volumine finiturum esse me credam. Quod si te orante conplevero, arripienda erit et reliqua que a decimo .IIII. Ezechie regis anno habebit inicium.

Ecce nomen domini venit de longe, ardens furor eius et gravis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans. Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris quod erat in maxillis populorum. Canticum erit vobis sicut vox sanctificate sollempnitatis, et leticia cordis sicut qui pergit cum tybia ut intret in montem domini ad fortem Israel. LXX. Ecce nomen domini venit post tempus multum ardens furor cum gloria eloquium labiorum eius, eloquium ire plenum, et ira furoris sicut ignis devorabit, et spiritus eius sicut aqua in valle trahens. Veniet usque ad collum et dividetur ut conturbet gentes super errore vano, et abiciet error et assumet eos in conspectu eorum. Numquid semper oportet vos letari et ingredi in sancta mea iugiter quasi festa celebrantes atque gaudentes ut ingrediamini cum tybia ad montem domini ad deum Israel. Dicamus primum iuxta hebraicum. Pendent ex superioribus que dicuntur. Corripuit sermo propheticus eos qui contempto auxilio dei propter

liber sancte Marie in Newnburga claustrali